



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs  
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. Quid faciat opus hominis bonum, eò quòd homo est peccator.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**



Hristus inquit Matth. 7. Omnis arbor mala, fructus malos facit: Quia ergo nos in peccatis concipimus & nascimur, Psalmo 50. sequitur quod opus nostrum à nostra natura profectum, nō potest dici bonum: oportet igitur ut ab alio dicatur bonum, quām à nobis. Fit autem homo arbor bona, primò fide in Christum Iesum, quę Fides impetrat gratiam & fauorem Dei, & facit ut tunc opus placeat D E O. Nam sine fide Christi impossibile est, aliquod opus Deo placere, Hebr. 11. Rectificatur igitur homo & mutatur fide Christi, quę facit, ut opera illius, licet adhuc carne fragili fiant, attamen reputantur bona & iusta propter Christum: & sic ex gratia est, & ex Diuina imputatione, quod opus sit bonum & acceptum, non naturali sua dignitate & conditione. Et sic dicebat Propheta Iob 9. Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. Et Psalmo 142. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Imputatione ergo diuina, ex gratia opus nostrum dicitur bonum, Ephes. 2. Eramus natura filii irę, sed misericordia & gratia saluati estis per fidem, conditi ad bona opera, quę ordinat Deus ut in illis ambulemus.

Deus exigit à nobis interiora & exteriora opera & virtutes. Interiora sunt, fides, dilectio, timor Dei: hęc sunt meliora & potissima opera, & notantur in p̄ima tabula Moysis. Primò fides, ut toto corde illi fidamus: nam verax & fidelis est, & seruat certò omnia quę dixit & promisit: deindè, ut eum toto corde diligamus. Nam omne bonum venit ab ipso, & tamen nos non meruimus, sed ipse donat gratuitè ex misericordia & gratia. Postremò, ut illum timeamus, nam punit malos. Hęc omnia patent Exod. 20. Ego Deus zelotes, visitans, &c. Hęc sunt opera Spiritualia interiora & potissima, sine quibus

C 4 parūm